illum ſanguinem per communicationem ad nos effert, ut ita eodem ſanguine; Nov. Teſtament. ſeu fœdus, quod non inane eſt, ſed Bona teſtamentaria complectitur, cum utraque parte ſanciat, conficiat confirmet & obſignet.) τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον (τὸ ἐκχυνόμενον tam ad ἐν τῷ αἵματι, quàm ad τοῦτο πότηριον referri poteſt. Quia obliquus caſus (verba ſunt Ludovici de Dieu) absque ſolœciſmo, (quem Evangeliſtam θεόπνευστον hîc commiſiſſe temerè aſſeruit Beza,) verti poteſt interdum in nominativum, q. d. ἐν τῷ αἵματι (ὅ ἐστιν) ἐκχυνόμενον. Porrò nota: Nullam unquam tam parvam Particulam tantùm ſolatii ſolidiſſimi, tam validum contra ſpirituales hoſtes robur, tamque magnum in rebus fidei Momentum in ſe continuiſſe, quàm Præpoſitio hæc: ὑπὲρ ὑμῶν, Pro vobis. Quem uſum, quod auxilium, quod in tentationibus ſolatium ex incarnatione & morte Chriſti miſeri mortales ſperare potuiſſemus, niſi dixiſſet Salvator: ὑπὲρ ὑμῶν pro vobis, ſcilicet omnia facta ſunt? Hanc igitur Præpoſitionem, ubique præponendam, tanquam ſpirituale ſcutum Satanæ ignitis tentationum telis, innoxiè excipiendis, Conſcientiæque morſibus avertendis fide obvertimus. Huic exegeſi ortiamento loco auream Megalandri catenam appendimus, quam ex utraque formula: Hic eſt Sanguis Nov. Teſtament. & hoc eſt novum Teſtamentum in Sanguine, ita breviter; ſed venuſtè quaſi annulis connectit. *Mandatum Chriſti in poculo comprehendit vinum, Vinum virtute Verborum Chriſti, complectitur ſanguinem Chriſti, Sanguis teſtamentum, quia eſt teſtamenti ſanguis, Teſtamentum remiſſionem peccatorum.* Nunc ad probationem noſtræ Theſeos ex hoc dicto pergimus. Quicquid eſt Teſtamentum & quidem ipſius Filii DEI, qui eſt veritas & vita Joh. XIV. 6. non Teſtatoris modo, ſed etiam Teſtium plerumque omnium cruenta morte obſignatum & confirmatum, illud κατὰ τὸ ῥητὸν, non autem κατὰ διάνοιαν, per tropos & figuras ſenſum legitimum corrumpentes, eſt intelligendum & explicandum. Atqui Sacra Cœna ſeu verba Inſtitutionis S. Cœ-